

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Dominica XXV. post trinit.

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

tubicines habebant qui carminibus suis lugubribus presentes ad luctum incitare renebantur: habebant quoque lamentatrices suas, hæc fini ordinatas, quarum mentio fit, Jer. 9. v. 17.

Verùm Christus hos mortuorum tubicines ferre non potest, ideò dicit: Secedite, & expellit illos ex ædibus.

Diabolus adhuc hodiè tubicines suos alit, qui sonitu suo multos infatuant, ut non recordentur mortalitatem suam, ut concupiscentiis terrenis se dedant, atque in diem vivant, non secus ac si percusserint fœdus cum morte, & cum inferno fecerint pactum, Esa. 28. v. 15.

Hic & nos mortuorum hos tubicines expellamus, ne seducamur ab ipsis, semper memorantes novissima, & in æternum non peccabimus, Sir. 7. v. 40.

Non fugit nos, omnes nos mortalitati consecratos esse: Abel primus fuit, reliqui mortalium omnes ipsum secuti sunt, Methusalem annis gravissimus, Samson fortissimus, Salomo sapientissimus, Absolon formosissimus, Afahel velocissimus, Chri-

stus sanctissimus ipse non potuit à morte immunis esse: exceptis Enocho & Eliâ, qui veluti Candidati æternitatis vivi in cœlum abrepti sunt, & societatem habent cum Patre & Filio, 1. Joh. 1. v. 3. De cæteris omnibus dicitur: Terram geris, terram teris, & in terram reverteris, Gen. 3. v. 19. Despiciamus proindè mortuorum tubicines, quando Epicureorum cantilenam canunt: Venite, & fruamur bonis, quæ sunt, Sap. 2. v. 6. finis enim infelicissimus sequitur: Transiit enim mundus & concupiscentia ejus, 1. Joh. 2. v. 17.

Præparemus nos potius ad mortem singulis horis & momentis, sic non est quod mortem exhorrescamus, sed potius cum Simeone lætabundi dicere poterimus: Nunc dimittis servum tuum in pace, Luc. 2. v. 29.

Claudimus cum Ecclesia:  
Amen Deus sanctissime,  
Fac oppetamus nos piè,  
Fac Regna singuli tua  
Cœlestia,  
Colamus hinc in secula.

## DOMINICA XXV. POST TRINIT.

*Evangelium Matth. 24. v. 15 -- 28.*

### EXORDIUM.

**C**Um Noa, Præco illè justitiæ, vineam plantasset, & vino temulentus in tentorio suo nudus jaceret, illusus est à filio minimo natu Cham, cui propterea maledixit, inquietus: Maledictus puer Canaan: servus

servorum erit fratribus suis, Genes. 9. v. 20. 26.

Deus est, Vos mei! qui vineam fecit in cornu filio olei, quam sepovit, lapidibus construxit, consevitque vitibus nobilissimis & præstantissimis. Esa. 5. v. 1. 2. quâ  
lss 3 intel-

intelligitur Ecclesia, quam Deus in V. T. ex Judæis sibi collegerat, qui Abrahamæ semen erant, quoad carnem, unde Regius Psaltes: Vitem de Egypto transtulisti: ejecisti gentes, & plantasti eam, expurgasti in conspectu ejus, & plantasti radices ejus, & implevit terram &c. Psal. 80. v. 9. In novo autem Testamento Ecclesia non amplius certo populo adstricta est, sed qui timet Deum, & operatur justitiam, acceptus est illi, Act. 10. v. 35. Quod Christus collineat, Joh. 15. v. 4.

Hæc spiritualis illa vinea est, quam Deus Pater dextera suâ plantavit, Psal. 80. v. 16. & sanguine Filii proprio sibi acquisivit, Act. 20. v. 28. quin & indies adhuc egreditur ad conducendum operarios, & ubi quem reperit otiosum, mittit eum, ut laboret in hac vinea, Matth. 20. v. 1.

Sed & amore quasi inebriatus est ratione vineæ hujus, & expectat bonas uvas magna patientia: Verum plerumque spes decollat, ut loco uvarum faciat labruscas, & tamen eandem non statim excindit, sed optimè eandem curat, ut ipse dicit: Quid est, quod ultrâ facere debui vineæ meæ, & non feci ei? Esa. 5. v. 4.

Quod si verò omnia beneficia frustra adhibentur, & impius mundus bonitate & longanimitate Dei ad peccata abutitur: Ecce! excitatur ille, tanquam dormiens, quasi Heros jubilans à vino, Psal. 78. v. 65. & maledictione onerat ejusmodi itrifores, ut quasi in signum ponantur, in quos variæ pœnarum sagittæ collineant, Job. 16. v. 14. omnia quippè vindictæ ejus inserviunt, Sir. 40. v. 37. ipse si jubet, feræ sylvestres depascuntur hanc vineam, Psal. 80. v. 14. sive vulpes se insinuant, demolientes gem-

mas, Cant. 2. v. 15. quod de Tyrannis & Pseudo-Prophetis intelligendum, qui in pœnam mittuntur, si voci Dei minus obtemperent, & fructus pœnitentiæ dignos homines non ferant.

Exemplum habemus in civibus Hierosolymitanis, quos Deus in peculium sibi ex omnibus aliis gentibus elegerat, tanq; beneficiis ornaverant, ut rectè Moses: Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos ita appropinquantibus sibi &c. Deut. 4. v. 7. quia verò uvas non ferebant, sed labruscas, non diutius connivere Deus poterat: sed hanc vineam suam diripiendam tradebat vulpibus & apris, qui ita eam vastarunt, & everterunt, ut lapis super lapidem non manserit, sed urbs cum templo, imò universa regio depopulata sint, sicut Christus aliquoties, maximè verò in prælecto Evangelio ipsis quoque prædixerat.

Nos methodo nostræ inservientes spectabimus

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

J. J.

### Exegesis.

**L**Eo rugivit, quis non timebit? Dicit Amos c. 3. v. 2. Hoc commodè ad prælectum Evangelium applicare possumus: hinc enim profectò rugit Leo de Tribu Juda, & non modò Judæis, sed & toti mundo interitum suum annunciat, quis non exhorresceret? quis non in verâ pœnitentiâ bonum consilium arriperet, quod ille, tanquã Angelus magni consilii Judæis, nobisque omnibus suppeditavit, quod exitum

tium effugiamus, & in ultimo ejus adventu, digni habeamur, fugere omnia ista, quæ futura sunt, & stare antè Filium hominis, Luc. 21. v. 36.

*Querela respicit*

I. *Abominationis evidentiam*, de quâ ita Servator: Cùm ergò videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto &c. Quid abominatio sit, nos non later, nempe res ejusmodi scæda, à quâ os & nasum obstruimus, & faciem avertimus, ne fœtor teter sanitati incommodet. In Græco est vox *βδέλυμα*, quod est, res execranda, sive fœtor intolerabilis, quem exhorrescimus, & abominamur. Cor namque unguento & variis odoribus delectatur, Prov. 27. v. 9. ubi verò fœtor invalescit, abiguntur homines, ut exemplum Antiochi testatur, 2. Macc. 9. v. 9.

Potest autem abominatio hæc, de quâ Servator verba facit, quod Judæis desolationem attraxerit, & *corporaliter & spiritaliter* intelligi.

*Corporaliter* de signis Imperatoris Tiberii, quæ Pilatus in ejus gratiam noctu in SanctoSanctorum suspendit, sive ut alii malunt, simulacrum Caligulæ, quod Sempronius ibi statui jusserat, id erat idolum Zeli Patris-familias, Ezech. 8. v. 3. nempe Dei Trinuni, qui in templo ignem & caminum habebat, Ezech. 31. v. 9.

*Spiritualiter* verò, de omnibus peccatis & flagitiis, quæ tùm à civibus Hierosolymitanis, tùm Christianis hodie tenus adversus primam & secundam Decalogi tabulam liberè perpetrantur.

Ejusmodi abominatio est idololatria, Deut. 13. v. 14. 2. Chron. 33. v. 2. Jer. 16. v. 18.

Quò & illi pertinent, qui ad Magos, sagas & incantatrices confugiunt, eosque confutunt, vide Deut. 18. v. 9.

Sic abominatio Domini est perversus, Prov. 3. v. 32. quales sunt Apostatæ, qui Dominum abnegant, qui emit eos, 2. Petr. 2. v. 1.

Abominatio ipsi sunt rixosi, qui de lana caprinâ sæpè altercantur, Prov. 6. v. 16.

Abominatio ipsi sunt viri sanguinum & dolosi, quorum sermones molliores sunt oleo, & ipsi sunt gladii, Psal. 5. v. 7. Pl. 55. 22.

Abominatio Domini est omnis arrogans, Prov. 16. v. 5. Luc. 16. v. 15.

Abominatio ejus sunt promiscuæ libidines, scortatio, adulteriû, incestus, Sodomia &c. ut expressè appellantur, Lev. 18. 26.

Abominatio apud eum statera dolosa, & pondus iniquum, Prov. 11. v. 1. nec non labia mendacia, Prov. 12. v. 22. item elemosynæ, quæ ex injustè corrosis opibus erogantur, quas Deus mercedem prostibuli vocat & pretium canis, Deut. 23. v. 18.

Quod si igitur nos ad prædictas partes probaverimus, multas utique abominationes reperiemus, quæ non modò temporalem desolationem, sed æternam damnationem pòst se trahunt. Ideò ipsa necessitas requirit, ut abominationes ejusmodi è domibus & cordibus nostris aboleamus. Fit id per seriam pœnitentiam, ad quam invitatur nos Deus ipse, inquit: Lavamini, mundamini, auferte malum cogitationum vestrarum, ab oculis meis, Esa. 1. v. 18. hoc optimum remedium erit, quò si usi fuerimus, omnium peccatorum non recordabitur amplius, Ezech. 18. v. 24.

II. *Persecutionis truculentiam*, quæ genti Judaicæ & præcipuè Hierosolymis à Romanis

manis imminerebat, verba ita jacent: Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes: & qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua &c.

Hæc ita compendiosa descriptio est miseriarum, quam bellum post se trahit: est enim verè castigatio crudelis, Jer. 30. v. 14. non modò *respectu Dei*, qui extremitatibus non citius utitur, quàm ubi defetiscitur misereri, Jer. 15. v. 7. sed etiam *respectu sui*, ratione crudelitatis, quæ tempore belli exercetur, ibi enim non deferunt seni, nec miserentur parvuli, Deut. 28. v. 51. sed ad eò homines exagitant, ut sint quasi bis mortui, Ep. Jud. v. 12. & ingemiscant vix vix, Amos 5. v. 16.

Sæpè fit ut liberi ante oculos parentum interficiantur, nec infantis in utero materno ratio habeatur, 2 Reg. 8. v. 12. c. 15. v. 16.

Nonnullis manuum pollices amputantur, ut Adonibese septuaginta Regibus fecit, deinde similem fortunam expertus, Jud. 1. v. 7. nonnullis nasi & aures præcidentur, Ezech. 20. v. 25. nonnullis oculi eruantur, ut Zedekia factum, Jer. 52. v. 11.

Hinc ejusmodi hospites non expectantur, sed qui potest, in fuga salutem quærit, nec revertitur, quicquam tollere de domo sua, ut Christus hic loquitur. Licet enim valdè ærumnosum sit, si foco proprio relicto, inter peregrinos vitam agere cogaris, ubi sæpè parum benevolentia exhibitur, ut Lothi exemplum indicat, Gen. 19. v. 9. tamen præstat, quàm in eorum manus incidere, quibus pro iniquitate liberatio est, Psal. 56. v. 8.

Experti equidem sumus, fratres, quantum malum bellum sit, nempe sentina malorum, in qua omnia mala, velut in centro confluunt. Unde & absolutè malum

appellatur, cui nullum conferri potest, Esa. 45. v. 7.

Vitemus igitur peccata, quòd hoc malum præcaveamus, & pacem, quâ Deus nos beavit, conservemus. Aliàs Dominus facile muscæ sibilare potest, Esa. 7. v. 18. novumque ignem in portis nostris succendere, Jer. 17. v. 27. ubi metuendum, ne malum septies renovetur, quo ante percussus sumus Levit. 26. v. 24. Deus enim justus judex, & Deus minitans per singulos dies: nisi converti fuerimus, gladium suum acuit, Psal. 7. v. 12.

III. *Pseudo-Propheciarum frequentiam.* De his Servator: Surgent Pseudo Christi & Pseudo Prophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri posset, etiam electi. Horum omnibus seculis multi surrexerunt, qui partim pro Christo ipso se venditarunt, ut alibi memoravimus; partim doctrinam Christi adulterarunt: nec hodiè desunt Pseudo-Propheætæ, quos Diabolus ablegat ad seducendos orthodoxos, ut fermè vesciant, ubi Christum quærant, in deserto, an in penetralibus. Inter hos palmam obtinet Pontifex Romanus, qui emissarios suos in orbem mittit, ut passim in aulis Principum se insinuent, & velut ranæ Ægyptiacæ in domos Regum ascendant, Exod. 8. v. 3. ubi sæpè multum detrimenti inferunt, per dulces sermones & assentationes seducentes corda innocentium, Rom. 16. v. 18. imprimis verò captivas ducunt mulieres, 2. Tim. 3. v. 6. ut à semel agnita veritate deficientes, salutis naufragium faciant, 1. Tim. 1. v. 19.

Hi Pseudo-Christi sunt, prætendentes: Hic est Christus, illic est Christus, dum homi-

hominēs ad sanctos demortuos ablegant, potissimum verò B. Mariæ adscribunt, quod Christo convenit, tanquam uni Mediatori Dei & hominum, 1. Tim. 2. v. 5. per quem Maria quoque salutem consecuta, ex quâ causâ etiam salutare suum appellat, Luc. 1. v. 47.

Eò enim in Papatu res rediit, ut non modò Psalterium Davidis, sed ipsam quoque orationem Dominicam B. Virgini Mariæ applicarint. O abominationem! O idololatriam! Ideò nostrum est cautè ambulare, non quasi insipientes, sed ut sapientes, Eph. 5. v. 15.

Cum Hannibal Dux Carthagenensium, urbem Capuam, quam Romani tenebant, noctu per prodicionem cepisset, Romanam tubam inflari curabat, quam asturè conficijusserat: cumque Romani illi appropinquarent, putantes esse è suis militibus, ab Hannibale sine jactura suorum profligebantur, & cædebantur.

Eodem modo agunt Pseudo-Prophetae, quando orthodoxos seducturi sunt, tuba verbi divini canunt, prætendunt Patres & Concilia, scripta Lutheri & Augustanam Confessionem, sicut Pater eorum ipse fecit, ubi Christum in deserto tentavit, hoc ipso imponunt simplicioribus, ut fidem habentes, extremum animæ periculum incurrant. O Nolite ergo unicuique Spiritui credere, sed probate Spiritus, si ex Deo sint: quoniam multi Pseudo-Prophetae exierunt in mundum, 1. Joh. 4. v. 1.

*De Secundo.*

**S**equitur *Medela*, quæ fluit  
I. *Ex Crucis moderatione.* Dicit enim

Christus, quod quamvis persecutio in fine seculi maxima futura sit, tamen electos benignè respectum, & propter illos dies abbreviatum iri. Sunt enim ipsi carissimi, & qui ipsos tangit, pupillam oculi ejus tangit: ideò neminem patietur tentari supra id, quod potest, sed faciet cum tentatione evasionem, ut possint sustinere, 1. Cor. 10. v. 13. Psal. 30. v. 6.

Equidem tempus prælongum quandoque videtur nobis, ut impatientiâ correpti cum Davide lamentemur: Nunquid in aeternum projiciet Deus? Psalm. 77. v. 8. 10.

Verùm ubi afflictionem oculis fidei inspexerimus, momentum saltem durat, nec condignæ sunt passionis hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, Rom. 8. v. 18.

Non enim Deus in Calendario suo annos & dies & horas supputat, ut nos homines; sed mille anni sunt ante oculos ejus, tanquam hesternus dies, quæ præterit, Psal. 90. v. 4. Quando igitur nos in cruce annum, biennium, vel triennium plus minus relinquit, coram eo momentum tantum est, & si eam patienter sustinuerimus, affatur nos: Ad punctum in modico dereliquite, & in miserationibus magnis congregabo te, Esa. 54. v. 7. 8. Nulla proportio esse debet inter temporalem afflictionem & æternam gloriam, quâ ornabimur. Vide Apoc. 7. v. 9. 16. 17.

Quæcunque igitur in miseriarum hâc valle obveniunt nobis, æquo animo feramus, certi, si commortui fuerimus, quod & convicturi, si sustinuerimus, quod & cõregnaturi simus, 2. Tim. 2. v. 11. Si tribulatio magna, gloria major erit, si diu durat,

t t t

hâc

hæc diutius durabit. Nam lætitia sempiterna super capite nostro erit: Præmia cœlestia tam magna sunt, ut non possint mensurari, tam multa, ut non possint numerari, tam copiosa, ut non possint terminari, tam pretiosa, ut non possint æstimari, dicente Bernhardo. Oculos enim non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus his, qui diligunt eum, 1. Cor. 2. v. 9.

II. *Ex piorum conservatione.* Neque enim per Pseudo Prophetas, neque per imminentes afflictiones & persecutiones superabuntur, aut ad Apostasiam commovebuntur. Sunt enim *τελειωμένοι* præordinati ad vitam æternam, Act. 13. v. 48. & prædestinati secundum præscientiam Dei Patris, 1. Petr. 1. v. 2. quamvis non absolute: sed in respectu ad media, ad quæ electi quoque obstricti sunt, teste Paulo, 2. Thess. 2. v. 13.

Hoc verò certum prorsus est, licet illi præoccupentur in delicto aliquo, & in errorem incidant, quod tamen in eo non perseverent, sed gratia Dei emergant, & ad vitam æternam conserventur. Dona enim Dei sunt *ἀμετάμελλα*, Rom. 11. v. 29.

Quod si verò nosse cupis, an in numero electorum sis, proba te, an fide salvificâ præditus sis, quod inde perspicias, si virtutis desiderio flagres, & ex adverso peccata abomineris: nam omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, 1. Joh. 3. v. 9.

Idem inde tibi constabit, si Spiritus carni resistat: Qui enim Christi sunt, crucifixerunt carnem suam, cum desideriis & concupiscentiis, Gal. 5. v. 24.

Idem inde noveris, si ad Decalogum vitam tuam componas: In hoc scimus,

quod cognovimus eum; si mandata ejus observemus, 1. Joh. 2. v. 3.

Certum quoque indicium erit, si dilectio fraterna in corde tuo radices egerit; Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres, 1. Joh. 3. v. 14.

Nec minus inde id discemus, si orationi fideliter invigilemus, Misit quippè Spiritum sanctum in corda nostra, clamantem, Abba Pater, Gal. 4. v. 6.

Docebit id quoque nos patientia in cruce. Si enim compatimur, & conglorificabimur, Rom. 8. v. 17.

Tandem & inde nobis innotescet, si desiderio patriæ cœlestis flagremus, Spiritus enim & Sponsa dicunt: Veni, Apoc. 22. v. 17.

Nos igitur tantam habentes circumpositam nubem testium, deponentes omne pondus, & tenaciter inhærens peccatum, per patientiam curramus in proposito nobis certamine, adspicientes in Ducem fidei, & consummatorem Jesum, Hebr. 12. v. 1. seqq. & in virtute ejus custodiamur per fidem in salutem, 1. Petr. 1. v. 5. & accipiemus bravium, 1. Cor. 9. v. 24.

III. *Ex plenaria liberatione,* quam consequemur in adventu Christi, hinc ipse ait, in fine Evangelii: Sicut fulgur exit ab Oriente, & fulget usque in Occidentem, ita & adventus erit Filii hominis.

Quamvis igitur hic dies impiis erit dies iræ, Rom. 2. v. 5. dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis, Joel. 2. v. 2. Dies succensa, velut caminus, & erunt omnes contemptores, & omnes facientes impietatem stipula: & inflammabit eos, quæ non derelinquet eis radicem & ramum, Mal.

Mal. 4. v. 1. aliter tamen multò comparatum erit cum piis. Unde rectè Augustinus: Formidandum est hoc iudicium malis propter pœnam, amandum autem bonis propter coronam, Apoc. 2. v. 10.

Jam multæ sunt tribulationes justorum, Psal. 34. v. 20. suntque lampas contempta apud cogitationes divitum, Job. 12. v. 5. quilibet insultaturus ipsis dicit: Pone in terram corpus tuum, & in plateam trans-euntibus Esa. 51. v. ult. Verùm ubi Jesus veniet ad iudicium, momentanea levitas tribulationis *ὁ θεὸς καὶ ὁ ὑπερβαλὼν ἐκεῖ ὑπερβαλὼν* operabitur, 2. Cor. 4. v. 17.

Sicut igitur agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat imbrem temporaneum & serotinum: Ita & vos patientes estote & confirmate corda vestra: quoniam adventus Domini appropinquavit, Jac. 5. v. 7. Inter eâ seminate vobis in iustitia, & metite misericordiam: arate vobis arationem: tempus autem requirendi Dominum, donec veniat, qui doceat vos iustitiam, Os. 10. 12. sic exultantes venietis, portantes manipulos vestros, nempe manipulos Angelicæ claritatis, manipulos immortalitatis, & manipulos æternæ beatitudinis, Psal. 126. v. ult.

### De Tertio.

**R**estat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

1. *Scripturam ama.* Eò remittit nos Christus, inquit: Qui legit, intelligat. Ubi in specie de Propheta Daniele loquitur, qui de quatuor Monarchiis, Anti-

Christo, aliisque prædixit, quæ ultimis seculis futura sunt.

Hic circumspicere agendum, ne in excessu vel defectu pecces.

Et in excessu quidem peccatur, si vaticinia hæc ad tuum sensum detorqueas, & explices, & pro certo affirmes, cujus in Scripturâ nulla vestigia amplius reperitur. Talia enim non nisi à posteriori demùm intelliguntur, & Spiritus sanctus studiose ea occultavit, sicut Christus post resurrectionem demùm Apostolis aperuit sensum, ut intelligerent Scripturas, Luc. 24. v. 45. Ante autem dicebat, hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis, Joh. 16. 4.

In defectu verò illi peccant, qui Scripturas vel alto supercilio, ut viles & abjectas contemnunt, ut Angelus Politianus dixit: semel à se Scripturas esse lectas, & quod tempus nunquam pejus collocaverit: vel planè prohibentur, sicut in Papatu laici planè ab eâ arcantur: quin pro regulâ quasi habent. Bonus Biblicus nunquam fit bonus Catholicus (Papista), contra quam Christus mandavit: Scrutamini Scripturas, illæ enim sunt, quæ testimonium perhibent de me, Joh. 5. v. 39. Non itaque à lectione Scripturæ cessent Christiani, sed in lege Domini voluptate afficiantur die ac nocte, Psal. 1. v. 2.

Gellius memorat, quod olim Tatquinius Superbus à Sibylla Cumanâ tres libros trecentis Philippicis emerit, qui & Romæ tanquam Oracula habiti sunt, & lecti quando Deos consuluerunt.

Nihil verò hæc estimandi in comparatione Scripturæ. Omnis enim Scriptura *θεός πνεύμα* & utilis est, ad docendum, ad



arguendum, ad corrigendum, ad erudien-  
dum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei,  
ad omne opus bonum instructus, 2. Tim.  
3. v. 16. Majoris itaque hanc faciamus,  
cum Davide dicentes: Bonum mihi lex  
oriturui, super millia auri & argenti, Psal.  
119. v. 72. Cum voluptate quoque easdem  
legamus. Et ut Ezechieli volumen osten-  
debat, quod venter ejus edebat, quoque  
viscera ejus complebantur, Ezech. 3. v. 3.  
Ita & nos Scripturam per sedulam confi-  
derationem in succum & sanguinem con-  
vertamus, quo parati sumus semper ad sa-  
tisfactionem, omni poscenti rationem, de  
eâ, quæ in nobis est spe, & fide, 1. Petr. 3.  
v. 15. Optatum enim est, gratia stabili-  
cor, Hebr. 13. v. 9.

II. *Instanter ora.* Ed spectat: Orate  
autem, ut non fiat fuga vestra in hyeme, vel  
Sabbatho. Utrumque enim tempus dif-  
ficultates suas habet. Hyeme fuga diffici-  
lis est, eum propter frigus, nives & ventos,  
eum etiam propter brevitatem dierum:  
Sabbatho autem propter cultum divi-  
num, qui Judæis Sabbatho sanctè com-  
mendatus erat.

Alioqui Judæi in eâ opinione versaban-  
tur, quia Deus omnes manuum labores  
prohibuerit, non licere iter facere: sicut  
etiam ultra duo millia passuum, siue dimi-  
dium milliare peregrè non abibant, quan-  
to scilicet intervallo tabernaculum tæde-  
ris, à castris Judæorum aberat, unde quoq;  
non ulterius abire licere putabant Saba-  
tho, hinc ejusmodi spatium, iter Sabbathi  
appellatum est, Act. 1. v. 12.

Quando igitur Christus hinc Judæos o-  
rare jubet, ne fuga illorum fiat Sabbatho,  
hoc ipso superstitionem confirmare non

vult, quasi Sabbatho non ulterius iter fa-  
cere licitum sit, quàm duo millia passuum,  
argente quamvis necessitatis casu, quo er-  
rore imbuti Judæi tempore Maccabæo-  
rum trucidari solebant, quàm hostibus  
se se opponere, ut constat ex 1. Macc. 2. v. 36.  
sed hoc potius significare vult Servator,  
non sufficere tum Sabbathi iter, sed opus  
fore, ut longius profugiant, si manus Ro-  
manorum effugere velint. Propterea ad  
preces eos confugere jubet. Hæc enim  
vis orationis est, ut vel pœnas planè aver-  
tat, vel minimum mitiget, ut apparet ex  
precibus Moysi, pro Israëlitis illas funden-  
tis, Exod. 32. v. 11. Num. 11. v. 2.

Hinc oratio in Scripturis multa præ-  
clara epitheta habet, vocatur sepes ad ru-  
pturam, Ezech. 22. v. 30, scutum contra  
hostes, Sap. 18. v. 21. Panacæa probatissi-  
ma contra omnes morbos, Sir. 38. v. 9. Jac.  
5. v. 12. Sactificium gratissimum, Psal. 141. 2.  
odorum suavisimum, Apoc. 5. v. 8.  
clavis cœli penetrantissima, Sir. 35. v. 21.  
Jac. 5. v. 17. quâ Deus movetur, ut cata-  
ctas cœli aperiat, & effundat benedictio-  
nem usque ad abundantiam, Mal. 3. v. 10.  
Verbo: Res omnipotens, ut Lutherus vo-  
cat, hinc Christus, Matth. 18. v. 19.

Josua precibus suis Solem sistebat, ne  
moveretur, donec ulcisceretur hostes suos,  
Jof. 10. v. 12. Ita nos precibus nostris De-  
um quasi constringere possumus, ne faciat  
furorem iræ suæ, Os. 11. vers. 9. Psalm.  
103. v. 13.

Oratione Moses devicit Amalekitas,  
Exod. 17. v. 11. Oratione Elifæus Syros  
cœcitate percussit, 2. Reg. 6. v. 18. Oratio-  
ne David restitit pestilentia, 2. Sam. 24.  
v. 17. Oratione Daniel servatus est in lacu

leo-

leonum, Dan. 6. v. 10. Oratione Judith defendit oppidum Bethulæ, Judith, 10. v. 2. Oratione nos hodiernus montes transferte possumus, & omnia quæ nobis obesse volunt, prohibere. Propè enim Dominus invocantibus eum, facit voluntatem rimentium se, & exaudit eos, Psalm. 145. v. 18.

III. *Adventum Christi expecta.* Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & apparet usque in Occidentem, ita erit & adventus Filii hominis. Ubicumque fuerit, cadaver, illic congregabuntur & aquilæ.

Hæc pauca quidem sunt verba, sed tamen diem extremum certissime venturum affirmant. Dominus enim, qui illa pronuncia vit, veritas ipsa est, Joh. 14. v. 5. citius cælum & terra transibunt, quam verba ejus, Luc. 21. v. 33.

Atqui dicit, se ceu fulgur cum adventu suo irrupturum, idè in prociñctu stemus, ut quodocunque Dominus venerit, cum prudentibus virginibus in occursum ejus prodeamus, & cum eo intremus in gloriam, quam ipsi Pater dedit, Joh. 17. v. 24.

Filii hujus seculi non multùm curant diem novissimum, sed quia aliquamdiu dilatus est, ajunt: Neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à desertis montibus malum ingruet, Psalm. 75. v. 7.

Verùm genuini Christiani propter hanc moram non securitati se tradunt: sed cogitant, quod Deus patienter agat propter nos, nolens ullum perire, 2. Petr. 3. v. 9. idè expectant adventum ejus.

I. *Corde pœnitente.* Ut enim

Fulgura cum ingeminant, cœlorumq;  
ingruit horror,  
majorem devotionem in precibus osten-

dimus & sanctimoniam in operibus: Ita & nos semper adventus Domini recordemur, qui ut fulgur irrupturus, mundoque finem impositurus est. Hic stimulus esse potest, ut temperanter, justè & sobriè vivamus in hoc seculo, Tit. 2. v. 12. qui enim novissima recordabitur, nunquam peccabit, Sir. 7. v. ult.

II. *Corde fidei.* Est enim judex frater noster. Hinc Gregorius: Spes magna nobis facta pœnitentibus, quia advocatus noster factus est judex noster. Sicut enim Josephus cum fratribus suis non stricto jure egit, sed potius iis alimenta concessit in terra Gosen, Gen. 42. & seqq.

Ita nec cœlestis Josephus, frater noster Jesus Christus, nos à facie sua abjiciet, nec damnationi tradet, sed potius in cœleste gaudium introducet, ut in habitatione pacis simus, Esa. 32. v. 18. habentes cum eorum vitam, & abundantius habeamus, Job. 10. v. 10.

3. *Corde patienti.* In hoc mundo tyrannidi & injustitiæ subiecti sumus. Nam veritas è medio sublata, & qui recessit à malo, prædæ patuit, Esa. 59. v. 15. hinc sæpè impatientiâ præoccupati, dicimus: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob, Psalm. 94. v. 7. Verùm in silentio & spe erit fortitudo nostra, Esa. 30. v. 15. Habac. 2. v. 4.

Sicut igitur Sponsa haud invitè præstatur tempus, quo nuptiæ parantur, & à Sponso domum deducitur: Ita nos, velut Sponsa Christi, quam sibi in fide sponsavit, Os. 2. v. 19. patienter expectemus, dum nos in palatium cœleste introducat. Veniens veniet, & non tardabit, Habac. 2. v. 3.

Veni Domine JESU, Amen!